


declinatio Borea  $H$  ad Solem cōuersa efficit. Quoniam declinatio æquinoctialis ad  $A E$  lineam per reuolutionem diurnam detornat sibi tropicum hyemalem parallelum secundum distantiam, quam sub  $E A H$  angulus inclinationis compræhendit. Proficiscatur modo centrum terræ in consequentia, ac tantundem  $F$  maximæ declinationis terminus, in præcedentia: donec utriusque in  $B$  peregerint quadrantes circulorum. Manet interim  $E A I$  angu-



lus semper æqualis ipsi  $A E B$ , propter æqualitatem reuolutionum, & dimetientes semper ad inuicem  $F A H$  ad  $F B H$ , &  $G A I$  ad  $G B I$ , æquinoctialisque æquinoctiali parallelus. Quæ propter causam iam sæpe dictam apparent eadem in immensitate cæli. Igitur ex  $B$  Libræ principio,  $E$  sub Ariete apparebit, concidetque sectio circulorum communis in unam lineam  $G B I E$ , ad quam diurna reuolutio nullam admittet declinationem, sed omnis declinatio erit à lateribus. Itaque Sol in æquinoctio uerno uidebitur. Pergat centrum terræ cum assumptis conditionibus, & per-

c iij acto